

sciente patratum criminatus, Episcopos, qui illum ordinaverant, suis accusationibus involvit, & ipsum Origenem, cujus famam celebritati haud parum invadebat, Alexandria pulsum percussit Anathemate. Origenem tamen Episcopi Palaestinae nunquam a sua communione separarunt, immo illum semper in maximo honore habuerunt, dignumque judicaverunt, qui munia Ecclesiastica obiret, quibus Origenes, ob summam, qua pollebat, eruditionem, maxima cum laude perfunctus est. Anno Domini 238. Bostram, causa *Berylli* hujus Civitatis Episcopi venit Origenes. Negabat *Beryllus* Christum, ante Nativitatem suam ex Virgine, in propria persona sublitisse. Cum illo igitur familiariter collocutus Origenes, errantem ad rectam viam reduxit. Dein, jam sexagenario major, anno Domini 247. rogatus a Synodo Arabiam denno petiit, ut adversus Auctores erroris, qui animas cum corporibus interire, & rursus ad vitam redire statuebant, disputationem institueret, contra quos tanto robore pugnavit, ut a veri tramite defectentibus errorem penitus excuserit. Anno 250. imperante Decio, & faviente dira persecutione ab immanissimo illo Imperatore mota, Origenes constanti, & infracto animo multa, graviaque passus est supplicia, vincula, cruciatus, & arumnas, ex quibus tamen liberatus, tandem vir ille toto Orbe percelebris vitae suae cursum in labore corporis, atque in animi contentione absolvit anno Domini 253. Gallo, & Volusiano imperantibus, aetatis suae LXIX. mortuus est Tyri, ubi est sepultus. Defunctum praclaris laudibus extulerunt Vincentius Lirinensis l. 1. Commonitorii c. 23. & S. Hieronymus Epist. LXV. ad Pammachium, & Oceanum.

D. Quae mox de Origenis constantia in Deciana persecutione narrasti, nova mihi plane apparent, & communi Ecclesiasticae Historiae peritorum opinioni omnino contraria. Audivi quippe a multis viris eruditis, Origenem tanto castitatis amore flagrasse, ut eam in Deciana persecutione fidei praerulerit, elegeritque potius fidem negare, & thus Idolis offerre, quam laesa castitate impuro misceri Aethiopi, & nefando contaminari crimine.

M. Non me fugit, multos etiamnum esse viros eruditos, qui post S. Epiphanium haeresi 67. existimant, Origenem in Deciana persecutione, ne ab Aethiops stuprum pateretur, avitae fidei nuntium remisisse, & Gentium Idolis sacrificasse. Verum, hunc Origenis lapsum commentitium esse plurimis, ac solidis momentis evincunt periti alii Critici, quibus utroque pollice subscribo. Primo, quia illi Patres, & Scriptores Ecclesiastici, qui Sancto Epiphanio sunt antiquiores, vel saltem suppare, tanti Origenis lapsus, qui tamen per ora omnium volitasset, nullatenus meminere. Certe evirationem Origenis diserte memorant Eusebius, & Hieronymus; de thure autem socis imposito ab Origene ne minimum quidem verbum habent. Secundo, Demetrius Alexandriae Episcopus iniquo animo ferens quod Origenes fuisset Presbyter ordinatus, in ipsius quidem evirationem invehit, quo illum Sacerdotio abdicaret, sed nunquam ei Idololatriae crimen exprobravit. *Demetrius*, inquit Eusebius l. 6. Hist. Eccl.

c. 8. *Quando nihil aliud habebat, quod ei, seu Origeni, obiceret, facinus illud, quod olim adolescens patrataverat, gravissimo criminatus est. Credibile ne est, Demetrium laudi, gloriaeque Origenis infensissimum illius in Idololatriam lapsum de industria reticere voluisse, si revera contigisset? Denique, ut caetera mittam gravissima momenta, quae liquido evincunt hunc Origenis lapsum esse plane confictum, testatur idem Eusebius c. 27. mox laudati libri, quod, ubi relicta Alexandria, Caesaream migravit Origenes, ipsi soli interpretationem Scripturae sacrae permisissent Theophilus Caesareae Episcopus, & Alexander Hierosolymae Episcopus. Porro, si Idolis sacrificasset Origenes, publica poenitentia fungi debuisset juxta immotam Ecclesiae regulam, quam tamen nunquam peregit, sive Alexandriae, sive Caesareae, sed potius ubi primum Caesaream adventasset, Presbyteri munia obivit. Falsus itaque videtur Origenis in Deciana persecutione lapsus.*

D. Utinam scripta Origenis tam facile ab erroribus posse vindicare, quam lapsum illius in Deciana persecutione excusasti. At, sicut audivi a viris eruditis, tam saedis erroribus scaturit scripta Origenis, ut ex his, tanquam ex virulento fonte omnes pene, quae deinde exorta sunt Haereses, manasse videantur.

M. De scriptis Origenis prolixè juxta ac eleganter disserit *Daniel Huetius* Episcopus Abrincensis linguarum, & Antiquitatis Ecclesiasticae peritiam clarissimus, qui tribus libris quaecumque ad Origenis vitam, scripta, erroresque spectant, solide enucleavit, & quod diu a viris doctis optatum fuerat, omnia Origenis Opera Graeco-latina Notis illustrata, duobus tomis comprehensa publica luce donavit (a). Quapropter, cum aliunde Origenis genuina Opera sint pene infinita (scripsit enim, teste S. Epiphanio, sena millia volumina, quae, ut ait Vincentius Lirinensis, non solum perlegi, sed ne inveniri quidem possibile est) hic dumtaxat adnotabo breviter Opera, quae ipsi sunt falso adscripta, cujusmodi sunt: libri tres *Commentariorum in librum Job. Commentarius in Evangelium S. Marci. Homiliae in diversos. Liber de Sectis Philosophorum, & Dogmatibus. Lamentum Origenis. Scholia in Orationem Dominicam, & in Cantica B. Virginis, Zachariae & Simeonis. Dialogus contra Marcionitas. Liber de recta in Deum fide.* Haec, inquam, Opera, ut fatentur periti Critici, Origenem non habent Authorem. Quod attinet ad genuina Origenis Opera, quae ad nos usque pervenerunt, certum est, ea multis esse saedata erroribus. Hinc S. Basilus in libro de Spiritu Sancto c. 20. dicit, Origenem non habuisse sanas de Spiritu Sancto opiniones. S. Epiphanius in libris de Haeresibus posuit Origenem in Classe Haeticorum. S. Hieronymus vertit in latinum Idioma libros Origenis dictos *Periarcho*, id est, de Principiis, ut ostenderet errores plurimos, qui in istis libris passim offenduntur. Synodus Quinta Generalis Anathema quoque dixit Origeni & scriptis ejus. Denique, Gelasius Papa in Concilio LXX. Episcoporum Romae habito anno Christi 494. omnia Origenis Opera, quae a S. Hieronymo fuere reprobata, proscripsit. Fuere quidem olim variae pro Origene editae Apologiae, quas inter duae extiterunt celebres, Eusebii videlicet Caesariensis una, & Ru-

& Rufini Presbyteri Aquilejensis altera. Sed his non obstantibus Apologiis, ultro fatendum est, Origenem deceptum ex Platonis Philosophia, quam perperam cum Christiana Religione conciliare studuit, in multis impiegiisse errores, quibus Ario, ac Pelagius praesulit, ovaque posuit, quae postea nefarii Haeresiarum in perniciem Ecclesiae excluderunt. Haec fuit fortuna Origenis, qui ut optime ait Cassiodorus, *ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus.* Si plura de Origenis doctrina scire aveas, leges Sixtum Senensem, librum ab Halloixio editum, qui inscribitur *Origenes defensio*, Illustrissimi Danielis Huetii Abrincensis Episcopi *Origeniana*, & Natalis Alexandri dissertationem 18. tertii saeculi, qui tam fuse, cumulateque hocce argumentum pertractarunt, ut actum profecto agerem, si in eo diutius immorari vellem. (a)

(a) Cl. Petrus Huetius duobus a se productis voluminibus Origenis opera non quidem omnia, sed commentaria ejus in Joannem tantummodo edidit. Omnia Origenis opera debemus Cl. P. de la Rue Gallo Ord. S. Bened. Maurino, cujus opus prodit Parisiis an. 1733. Ibi comparat liber de principiis latine ex Rufini interpretatione, cui tamen ad latus adjunxit Editor graeca quaedam fragmenta ejusdem operis, hinc inde accepta. Nec praeterit Cl. Editor fragmenta alterius versionis ejusdem libri a S. Hieronymo post Rufinum adornata, cujus collationis ope apparet quid a Rufino adjectum sit textui Origenis.

D. Perge, quae, aliorum, quos memorasti, tertii saeculi Scriptorum Ecclesiasticorum recensere Opera.

M. Floruit Alexandriae in tertio Ecclesiae saeculo Ammonius Philosophus omnium ore celebratus, Plotini, Longini & Amelii Praeceptor, tantaeque eruditionis vir, ut cum ejus scholam ingressus docentem audisset Plotinus, dixerit Amico: *huc ipsum querebam*, teste in vita Plotini Porphyrio. Ammonium fidem Christi ejusdem mentitur Porphyrius, quem falsi coarguit Eusebius lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 19. his verbis: *Ammonius divinae Philosophiae praecepta ad extremum usque terminum vitae integra, atque remota retinuit. Testantur id etiamnum lucubrations illius viri ob ea, quae reliquit, ingenii monumenta celeberrima, exempli gratia: liber ille cui titulus est: De consensu Moysis, & Jesu, & quicumque alii apud studiosos reperuntur.* Harmoniam quatuor Evangelistarum olim dictam *Diatestaron*, quae in Biblioth. Patrum saepius excusa est, quamque Ammonio vindicat *Victor Capuanus*, & post Victorem eruditi complures; revera tamen ab Ammonio editam non fuisse doctissimus *Valesius* in suis Notis Eusebianis pag. 75. hac luculenta ratione demonstrat: Opus Ammonii, inquit Valesius, nihil aliud erat, quam Evangelium Matthaei, cujus singulis capitibus adjuncta erant ad latus capitula aliorum trium Evangelistarum, quae cum Matthaei consentiebant Evangelio; atqui in Harmonia illa, quae a Victore Capuano prolata est, nihil ejusmodi cernitur; haec igitur Harmonia non est Ammonii,

sed alius Authoris, quem *Tatianum* esse pervulgata est virorum eruditorum opinio. (b)

(b) Hodie praevalet inter eruditos opinio, opus, quod *Diatestaron* inscribitur, esse Ammonii scilicet, tum sincerum. Capita vero illa adjuncta ad latus Evangelii S. Matthaei, seu potius numeri capitulorum aliorum trium Evangelistarum, in quibus eadem continentur, quae S. Matthaeus in loco illo narrat, quique *Canones vocantur*, alii Ammonio tribuunt, alii vero Eusebio. Sunt etiam qui ab Ammonio excogitatos & ab Eusebio expolitos censent. Vid. Simonium Hist. Critic. comment. novi testamenti gallice scripta cap. VI.

Claruit eodem tertio Ecclesiae saeculo *Julius Africanus*, vir undecumque doctissimus, Philosophus, Historiographus, accuratissimus temporum observator, & Theologus insignis. Vixit Nicopoli in Palaestina, & sub *Marco Aurelio Antonino Elagabalus* Imperatore legationem obiit pro instauratione Urbis *Emmaus*, quae postea *Nicopolis* nuncupata est. Scripta ejus sunt haec: *Commentarii inscripti de Cestis, sic appellati propter argumentorum varietatem. Epistola ad Origenem de Historia Susannae, quam ipse ceu Apocrypham explodebat. Volumina quinque Annalium, seu Chroniconum libri quinque. Epistola ad Aristidem de discrepantia Genealogiae Christi a Matthaeo, & Luca Evangelistis descriptae.*

S. Cornelium Papam numero Ecclesiasticorum tertii saeculi Scriptorum jure merito S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. cap. 77. accenset. Scripsit enim Summus ille Pontifex quatuor Epistolas ad *Fabium Antiochenum Episcopum*, quem S. Hieronymus, fallente memoria, *Flavianum* appellat. Scripsit quoque S. Cornelius quatuor Epistolas ad S. Cyprianum, quarum duae temporum injuria exemptae sunt, & in *Pameliana Operum S. Cypriani* editione extant num. 46. & 48. Haec sunt genuina S. Cornelii Opera. Sed sunt & alia, quae ipsi tribuuntur, & tamen sunt supposititia. Cujusmodi sunt: *Epistola de Translatione Corporum Apostolorum Petri & Pauli e Catacumbis*, quae data est septimo idus Septembris Decio, & *Maximo Viris Clarissimis Coss.* Altera Epistola ad *Rufinum*, vel *Rusticum Coepiscopum Orientalem* missa XI. Kalend. Junii Maximo, & Decio Viris Clarissimis Consulibus data. Has duas Epistolas non esse Sancti Cornelii ex eo maxime evincitur, quod nullus, sedente Cornelio, Decii, & Maximi fuerit Consulatus, quo tamen notantur ambae illae Epistolae. Praeter duas illas Epistolas, quae falso tribuuntur S. Cornelio, alia est sub ipsius nomine scripta Epistola, & ad *Lupicinum Viennensem Episcopum* directae, quae itidem supposititia est, & a notho Parente creata; cum nullus veterum, & probatae fidei Scriptorum meminerit praedictae Epistolae tanquam germanae S. Cornelii prolis.

S. Cornelio coaevus fuit S. Cyprianus natione Afer, Patria Carthagensis, ita ingenio facili, jucundo, & suavi, teste *Lactantio* cap. 1. lib. 5. Instit. ut vix discerni possit, an ornatio in loquendo, vel in explicando faciliior, aut in persuadendo potentior quisquam fuerit. Ethnicus primo quidem fuit Cyprianus, sed suadente *Cecilio*, a quo inde Ca-

de *Cacilius* cognominatus est, Christianæ Religionis nomen dedit, mortuoque Donato, Carthagenensis Episcopus & totius Africae Primas ordinatus est anno Christi 248. ac pro Christo martyrium passus est sub Valeriano Imperatore, ejusque filio Gallieno anno Christi 258. Multa piissima Opera elegantissimæ phrasæ & Ciceroniano candori proximæ, in rem, & ædificationem Ecclesiæ edidit Sanctus Cyprianus. Complures tamen sub nomine S. Cypriani circumferuntur libri, qui omnium eruditorum calculo vel dubii sunt, vel omnino supposititii. Libri S. Cypriani dubii sunt: *Libri de spectaculis. De disciplina, & bono pudicitia. De laude Martyrii ad Moysen, & Maximum Confessores, & ad Novatianum. Duæ Orationes, una pro Martyribus, altera, quam dixisse fertur S. Cyprianus in die Passionis suæ.* Hæc, inquam, Opera S. Cypriani dubia esse colligunt viri eruditi post Erasmus ex nonnulla styli diffimilitudine. Libri vero, qui falso adscribuntur S. Cypriano, sunt isti: *Liber de Cardinalibus operibus Christi. Liber de Aleatoribus. Liber de Moribus Sina, & Sion. Carmen inscriptum Sodoma. Carmen aliud ad Senatorem Apostatam. Hymnus de Pascha Domini. Liber de singularitate Clericorum. Expositio in Symbolum Apostolorum. Liber adversus Judeos, qui insculti sunt Christum. Liber de Revelatione Capiti B. Joannis Baptistæ. Liber de duodecim Abusibus sæculi. Liber de Cæna.* Hos libros viri eruditi, qui in discernendis genuinis SS. Patrum Operibus a spuris, & adulterinis diu, multumque infudarunt, S. Cypriano abjudicant. Pontius Diaconus, qui fuit tertii Ecclesiæ sæculi Scriptor, S. Cypriani, cujus fuit individuus Comes usque ad illius Martyrii diem, vitam conscripsit, quæ præfixa est S. Cypriani Operibus in Editione Pameliana.

D. Habuitne Ecclesia Orientalis in tertio Christiani nominis sæculo Episcopos doctrina, & pietate conspicuos, qui cum S. Cypriano conferri possint?

M. Habuit Ecclesia Orientalis multos in tertio sæculo Episcopos, qui doctrina, & vitæ sanctimonia floruerunt. Quos inter eminent S. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, & a magnitudine patratorum miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cujus genuina scripta hæc sunt: *Panegyricus in Origenem*, cujus, dum esset Adolescens, auditor fuit, ab ejus tamen erroribus omnino immunis. *Metaphrasis in Ecclesiastem. Brevis expositio Fidei. Epistola Canonica*, & alia plures Epistolæ, quæ amplius non extant. Cætera Opera, quæ S. Gregorio Neocæsariensi tribuuntur, sunt supposititia. Ecclesiæ Orientali maximum itidem splendorem in tertio sæculo contulit S. Dionysius Episcopus Alexandrinus, qui plures Epistolæ ad faciendam disciplinam, & ad profligandas id temporis emergentes Hæreses scripsit, *Nepotem* assertorem erroris de terreno Christi cum Sanctis milenario Regno strenue impugnavit, & Sabellium Hæresiarcham damnavit. His duobus splendidissimis Ecclesiæ Orientalis luminibus addi potest *Firmilianus* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus doctrina, & pietate insignis, qui ad S. Cyprianum de-

dijt Epistolam de Hæreticorum Baptisma, in qua paulo acrius ex zelo, quamvis non secundum scientiam, invehitur in S. Stephanum Romanum Pontificem. Sed hæc vitæ alioqui sanctissimæ macula fuit, quam penitentia expunxit. Unde Firmilianum Sanctorum cultu celebrat Ecclesia Græca, ut videre est in Menologio ad diem 17. Octob.

D. Hi sunt igitur omnes Scriptores, qui in tertio sæculo Ecclesiam suis scriptis illustrarunt?

M. Tres adhuc proferam tertii sæculi Scriptores Ecclesiasticos, quorum primus est S. *Dionysius* Romanus Pontifex, qui contra Sabellianos scripsit Epistolam, cujus insigne superest fragmentum apud S. Athanasium in lib. de Synodi Nicænæ Decretis: alia autem Epistolæ, quæ S. Dionysio adscribuntur, supposititiæ sunt. Alter Scriptor est *Pierius* Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & propter summam eruditionem atque sermonum elegantiam *Oyigenes junior* nuncupatus. Multos in Scripturam Sacram edidit Commentarios, & Homilias. Tertius denique Scriptor est *Anatolius* Episcopus Laodicenus, qui librum de *Paschate* conscripsit, qui adhuc extat. Hic igitur, si placet, Colloquio nostro de Scriptoribus, qui in tribus primis sæculis Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, finem imponamus, sitque istud proximi nostri Colloquii, quod agitabimus, argumentum: quamnam videlicet doctrinam, disciplinam, & moralem tenuerint, & observaverint tria priora Ecclesiæ sæcula?

D. Necessarium profecto, & perutile proponis argumentum, mihi que tam gratum erit, quam quod maxime, scire quam doctrinam, disciplinam, & moralem habuerint Christiani trium priorum Ecclesiæ sæculorum? Te igitur hoc de argumento edisserentem crassina luce lubenti animo auscultabo, mihi que in proponendis quæstionibus, quæ ad perdiscendam antiquitatem Ecclesiæ juvare poterunt, injuncto officio non defuturum me certissime promitto.

#### COLLOQUIUM VII.

De Doctrina, Disciplina, & Morali trium priorum Ecclesiæ sæculorum.

D. Hactenus in describenda historia trium priorum Ecclesiæ sæculorum selecta argumenta, quæ juxta præscriptum ordinem tractanda suscepisti, luculenta satis methodo, meumque ad captum accommodata digessim. Superest tamen, ad perfectum trium priorum sæculorum assequendam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam, ut modo summam perstringas Doctrinam, Disciplinam, & Moralem Christianorum, qui in tribus primis Ecclesiæ sæculis vixerunt. His siquidem semel discussis, ac dilucidatis, quæ ad antiquitatem Ecclesiæ illustrandam maximi momenti esse nullis inficias ire potest, nihil amplius erit, quod ad plenam, & absolutam trium priorum Ecclesiæ sæculorum historiam desiderari possit.

M. Antequam rem adgrediar, velim sedulo advertas, doctrinam Ecclesiæ nulli vel minimæ mutationi posse esse obnoxiam, sed inviolabili sæ-

lorum serie eandem omnino integram, & illibatam a Christi Apostolorumque temporibus ad nos usque jugiter fuisse conservatam, nec ullo pacto unquam defecuram. Tam quippe impossibile est, ut vera desinat Ecclesia, quam ut vera Ecclesia a doctrina, quam a Christo Domino accepit, ne latum quidem unguem desciscat. Ratio in promptu est. Quia si Ecclesia Fideles imbueret alia doctrina ab ea, quam Christus Dominus tradidit, tunc non amplius vera esset Ecclesia. Doctrina igitur Ecclesiæ mediis, & postremis sæculis æque sincera, & incorrupta est ac in primis: nec timet sortem, & conditionem rerum humanarum, videlicet rerum publicarum, legum & disciplinarum, quæ, quo magis a sua recedunt origine, eo etiam in dies pejorantur: sed potius, sicut eleganter ait *Vincentius Lirinensis*, doctrina Ecclesiæ annis consolidatur, dilatur tempore, sublimatur ætate, nihilque permutationis admittit, nulla proprietatis dispensia, nullam definitionis sustinet varietatem. Christus itaque unicus omnium Gentium Doctor cælestem, quam e sinu Patris æterni hauserat, doctrinam suis Apostolis instillavit. Dein, Apostoli hanc Christi doctrinam per totum, qua late patet, Orbem disseminarunt, & fidei depositum custodiendum omnibus, quas fundarunt, Ecclesiis concediderunt. Postremo, eadem fidei doctrina ab Apostolis sata, atque propagata omni ævo tum Scripturæ Sacræ, tum perpetuæ, sibi que semper constantis traditionis beneficio, inviolabilis & irreformabilis, sicut loquitur Tertullianus, permansit in Ecclesia, quæ est Columna & Firmamentum veritatis, & cui, ut ait idem Tertullianus, *nemo prescribere potest, non spatia locorum, non intervalla temporum, non patrocini personarum.* Verum quidem est, Ecclesiam, postquam prodierunt Hæreses, majorem in mysteriorum explicatione adhibuisse sollicitudinem, novaque coepisse usurpare, & consecrare voces, quæ ad proscribendas extortas illas Hæreses, & ad stabilienda fidei dogmata perquam apposita, & necessaria vitæ sunt, sed nihilo secius eadem fides, sive ante, sive post ortum Hæresum stetit inconcussa, cui nihil plane additum, nihil detractum voluit Ecclesia depositi fidei pervigil custos. Licet ergo doctrina Ecclesiæ acceperit progressu temporis evidentiam, lucem, ac distinctionem, semper tamen retinuit plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hanc autem doctrinæ Ecclesiæ puritatem ne tantillum quidem labefactarunt, aut obscurarunt hi errores, in quos quidam Scriptores, & antiqui trium priorum Ecclesiæ sæculorum Patres proruperunt, quia nunquam Ecclesia ejusmodi errores suo fovit assensu, vel pravo illis favit silentio, sed eos potius suo indeficienti judicio reprobavit, suosque omni ætate habuit Doctores, qui in istos errores infurrexerunt, & sanam doctrinam, qua nihil antiquius habebant, acerrime tuiti sunt. Id totum, quod hactenus dixi, facile perspectum habere poteris ex doctrina primorum Christianorum, quam hic compendiose subnectam, quamque si cum hodierna Christianorum doctrina conferre haud graveris, nullo negotio intelliges, ovum non esse ovo similis, quam doctrina pri-

morum Christianorum similis sit præsentis Christianorum doctrinæ.

At enim constanter docuerunt omnes primi Christiani, Scripturam Sacram, & Traditionem certas esse doctrinæ nostræ regulas, omniaque fidei nostræ mysteria, quamvis rationi omnino impervia sint, stabili tamen, firmaque fide esse credenda. Deum invisibilem, æternum, immortalem, omniumque bonorum, & perfectionum fontem esse dixerunt. De illius providentia, quæ latissima ad omnia protenditur, de potentia, bonitate, justitia, & misericordia frequenter juxta ac copiose in suis scriptis disseruerunt. Falsa Ethnicorum Numina, necnon crassos Hæreticorum plures Deos admittentium errores exploserunt. Deum esse supremum rerum omnium Conditorum, ac subinde materiam non esse æternam invicte propugnarunt, Sacram Divinarum Personarum in unitate essentia Triadem, divinitatem, & æternitatem Verbi, & Spiritus Sancti pronis animis adorarunt. Verbum divinum ab æterno fuisse in Deo; & istum adspicibilem Mundum per illum in tempore a Patre conditum esse, & gubernari crediderunt. Ejusdem Verbi Divini incarnationem professi sunt, & in Jesu Christo, quem verum Deum, & hominem agnoverunt, duas prorsus distinctas naturas, divinam scilicet, & humanam, nexu tamen indivisibili in unitate divinæ Personæ conjunctas admiserunt. Christum vera anima, veroque corpore in utero mundissimo Mariæ Virginis sola Spiritus Sancti operatione compacto præditum fuisse asseruerunt, ac subinde illum vere passum, ac mortuum fuisse, ut Genus humanum primigenia Protoparentis labe perditum repararet, homines veritatis, & virtutis viam suo exemplo edoceret, illos e dira Diaboli captivitate ereptos in pristinam Filiorum Dei libertatem morte sua vindicaret, atque ad Inferos descendisse, & ad vitam propria virtute rediisse, denuo in extremo Judicio venturum post generalem corporum Resurrectionem, ut suprema, qua pollebit, Judicis auctoritate palpitantes coram suo Tribunali reos æternis pœnis addicat, Justos vero interminabili gloria, ac perpetua felicitate donet. Hæc fuit constans primorum Christianorum fides, quam omnes Orbis Ecclesiæ ab exordio acceperunt ab Apostolis, sicut diserte testantur Sancti Patres trium priorum Ecclesiæ sæculorum, quorum Opera in ultimo Colloquio ad Crisim revocavimus. Nec minus pura, ac recta fuit circa alia dogmata primorum Christianorum fides. Docuerunt siquidem, hominem e felicissimo innocentia statu sua culpa excidisse, & pœnam peccati, quo se, totamque sui posteritatem turpiter sedavit, donis gratuitis spoliatum fuisse, & in statu naturæ lapsæ ita elevatum, & sauciatum liberum arbitrium retinuisse, ut nisi divinæ gratiæ ope adjuvetur, nullum opus bonum vitæ æternæ exetere valeat. Necessitatem Baptismi, ejusque effectus comprobant. Virtutem, qua Spiritus Sanctus in Baptizatos per Sacramentum Confirmationis, quod statim post Baptismum conferebatur, invisibiliter illabitur, tribuerunt impositione manuum Episcoporum. Asseruerunt Ecclesiæ potestatem reconciliandi peccatores, eisque, postquam since-